





*Q. D. B. V.*

*3, 131.*

*23*

*D E*

*1768 4378*

CONTRACTIBVS EXTRAIVDICIALIBVS  
MVLIERVM INNVPTARVM  
IN IMMOBILIBVS SINE CVRATORE SEXVS  
VALIDIS

~~~~~  
P R A E S I D E

CHRISTIANO GOTTLIEB HOMMELIO D.

TIT. DE VERB. SIGNIF. ET REG. IVR. PROF. PVBL.  
ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE

IN AVDITORIO MAIORI

D. VI APRIL A. R. S. C I O C C L X V I I I

DISPV TABIT

IOANNES GOTTLIEB HOFFSCHNEIDER

D A H M E N S I S.

~~~~~  
V I T E M B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.

CYTOGRAPHIE

GYMNAZIUM

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-169568-p0004-4

DFG



§. I.

Innuptas foeminas maiorennes in antiqua Germania custodiae atque curae vel parentum, vel agnitorum, vel affinium, uti vxores maritorum, subjectas fuisse, non modo LL. LONGOBARDORVM,<sup>a)</sup> ALMANNORVM,<sup>b)</sup> sed et praesertim FRISIONVM et SAXONVM satis edocent. Ita enim disponit LEX FRISIONVM  
Tit. IX. §. II. <sup>c)</sup> Si liberam foeminam extra voluntatem

A 2

parentum

<sup>a)</sup> Libr. II. Tit. X. §. I. Corp. I. Germ. Edit. GEORG. p. 982.

<sup>b)</sup> Tit. LIV. §. 2. cit. Edit. p. 219.

<sup>c)</sup> conf. GAERTNER ad h. I. p. 58.



parentum eius, vel eorum, qui potestatem eius habent, uxorem duxerit, componat TUTORIE eius solid. XX. id est denarios LX. et SAXONVM Tit. VII. §. 2.<sup>a)</sup> Qui mortuus viduam reliquerit, TUTELAM eius, filius, quem ex alia uxore habuit, accipiat. Si is forte defuerit, frater idem defuncti: Si frater non fuerit, proximus paterni generis eius consanguineus. Quae communis vero consuetudo sicut in aliis prouinciis Germaniae sequioribus temporibus penitus in exilium acta, ita in Saxonia nostra Superiori intra iustos est coercita cancellos. Longe enim a vero aberrat EISENHART VS<sup>c)</sup> sibi persuadens, in Saxonia Super. innuptam sine curatore sexus extrajudicialiter nil valide peragere, et prouerbium: eine Jungfer steht vor einen Mann, vsu destitui. In rebus mobilibus illis certe plenissimam contrahendi facultatem tribuunt, easque a cura librant iura tam communia,<sup>f)</sup> quam electoralia.<sup>g)</sup> Sed quae

pote

<sup>a)</sup> conf. IDEM ad h. l. p. 69. seqq.

<sup>c)</sup> in Grundsägen der deutsch. Rechte, in Sprichwörtern Sect. II. c. 7. par. 4.

<sup>f)</sup> IUS PROV. SAX. Lib. I. art. 45.

<sup>g)</sup> CONST. EL. 15. P. II. MANDAT. REG. d. anno 1722.

\* \* \*

potestas contrahendi iis in immobilibus extra iudicium absque curatore competat, DD. non conueniunt. Quam speciem nostra attentione eo magis censemus dignam, quo frequentiora in foro praesertim ideo sunt litigia, et sententiae, quae defenduntur, lubrico interdum nituntur fundamento.

§. 2.

Liberrimam de rebus immobilibus extra judicialiter disponendi, contrahendique foeminis solutis dat facultatem IUS PROV. SAX. Lib. I. art. 45. verbis: Mägde aber, oder unbemalte Weiber, mögen wohl verkaufen ihr eigen, ohn ihres Vormunden Urlaub. Cui adstipulatur IUS ALAMANNICVM cap. 307. EDIT. BERGER. pag. 118. verb. Magd und Frauen, die nicht Ehemann haben, die werden ihr Gut wohl an ohn ihr Vormunden. Laudatum textum Iuris Sax. de rerum immobilium dispositione praecipue differere, indicat vocabulum eigen, quod saepe eodem iure opponitur mobilibus fahrend, ut inter alia ex IURE PROV. SAX. Lib. I. art. 31. constat.<sup>b)</sup>

A 3

Nec

<sup>b)</sup> conf. SCHILTER in Praxi Iur. Rom. in For. Germ. Exerc. XXXVII. §. 243. exc. WIESAND in Lex. Iur. sub voc. Eigen.



Nec usus huic dispositioni in Saxonia denegatur, cum teste  
BERGERO<sup>1)</sup> in terris lineaे Ernestinae innuptae sine discrimi-  
ne obiecti omnia negotia extra iudicialia sine curatore peragant.

§. 3.

Ab hac in rebus immobiliibus contrahendi libertate **IUS SAX. ELECT.** in **Const. XV.** Part. II. verb. ausgeschlossen die unbeweglichen Güter, recedit, utrum vero abrogatio, an derogatio legis sit statuenda, quaestio est altioris indaginis. Compluribus verba **CONST. EL.** cit. tam clara sunt visa, ut qualescumque contractus innuptarum circa res immobiles sine curatore extra iudicium celebratos pro inualidis pronunciare ne dubitent. Sed quominus in eorum sententiam pendibus eamus, nos impedit dictum CELSI in L. 24. π. de LL. *Inciuile est*, inquit, *nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita iudicare et respondere.* Quodsi enim contractus, quos innupta in mobilibus sine curatore secundum **CONST. EL.** cit. celebrare possit, paulo accuratius ponderamus,

<sup>1)</sup> in Oec. Iur. L. I. Tit. IV. Th. VI. n. 2. add. HORN in Resp. XXV. Clas. XVI. SEYER Delineat. Iur. Germ. Lib. III. c. IV. §. 44.

7

deramus, animumque praesertim, ad verba *zuthum*, *vergeb-*  
*ben*, *Kaufen* und *verkaufen* attendimus, eos esse titulos, vel  
ad transferendum et acquirendum dominium, vel aliud ius  
in re habiles, animaduertimus. Cum nunc iure laudato in  
rebus immobilibus fecus sit, quis est, qui non videat, quod  
solutis sine curatore ita in iis contrahere non licet, ut exinde  
dominium, aut aliud ius in re transferatur, aut adipiscam-  
ur. Contra cum de contractibus ad haec iura inhabilibus  
intuitu mobilium non disponatur, et prohibito ratione im-  
mobilium ad eos extendi non possit, vt sic nil obstet, quo-  
minus, in his contractibus ius in re non translatiuis, iuri  
Sax. communi vterius inhaeramus. Nec aliud ex MANDA-  
T. ELECT. de ao. 1722. colligi potest, cum enim innu-  
ptis de rebus mobilibus denuo alienandi et acquirendi pot-  
estas sit concessa, quod vox GEBAHREN maxime indicat,  
exinde sequitur, vt talis facultas sine curatore in rebus  
immobilibus solutis nondum sit indulta, et hinc alienatio  
rerum immobilium absque curatoris consensu adhuc inter-  
dicta sit, id vero ad alios contractus diuersae indolis, et in

quos

XUS

quos nullum ius in re deducitur, extendi non possit.<sup>b)</sup>  
Quibus et optime IVS LVBECENSE, Lib. I. Tit. X. art. I.  
verb. Es mag keine Frau ihr Gut verkaufen, noch versezen,  
ohn ihrer Vormunden Vollwort, Wißen und Willen, cura-  
toris consensum ad alienationem et oppignorationem restrin-  
gens,<sup>c)</sup> conuenit. Quem etiam fugit, praestare, curam se-

<sup>b)</sup> Quo argumento et vtitur, dum nostram sententiam quasi in  
transitu tuerit ILL. B. BASTINELLER in Disp. de negotiis, que  
a muliere sine curatore in Sax. expediri possunt, Thes. XIX.

<sup>c)</sup> Idem fere approbare videtur L. LONGOB. Lib. II. Tit. 10. de mu-  
liere ita disponens: *Nec aliquid de rebus mobilibus aut immobi-  
libus, sine voluntate ipsius, in cuius MVNDIO fuerint, habent po-  
testatem alienandi aut donandi.* Et valde probabile, eiusmodi in-  
nuptarum contractus, de quibus infra §. 5. adhuc dicetur, iure  
Germanico antiquo apud eos populos, qui ignorarunt usufructua-  
riam tutelam, non adhibito curatore sine nullitate fuisse celebratos.  
Non enim existimandum est cum BEYERO Delin. I. Germ. Lib. III.  
cap. X. §. 4. et GAERTNERO ad LL. Sax. p. 75. quod omnis adul-  
tarum foeminarum praesertim innuptarum tutela vbique fuerit  
usufructuaria. Tantum premium nuptriale et mulcta pro rapo-  
stuprata, vel occisa muliere ex L. SAX. Tit. VII. §. 3. et L. FRIS.  
Tit. IX. §. 9. et 11. et L. LONGOB. Lib. II. Tit. II. §. 2 seqq. tutori-  
bus cedebat. In iure Suevico vero ex mulierum bonis tutores fru-  
ctus aliquo modo percepisse, pater ex SPECVLO SVEV. Art. CCLXXVI.  
pr. verb. Pfleg Nujj, secundum Edit. BERGER. p. 71. licet aliae edi-  
tiones in lectione varient. conf. HEINEC. El. Iur. Germ. L. I. §. 359.

xus penitus abrogari, ordines Saxoniae illustres in comitiis anno 1699. institutis, non modo perspectis rationibus, multiplicibusque incommodis, quae inde oriuntur, cognovisse <sup>m)</sup> sed et recentiores, <sup>n)</sup> cum sumtuosa sit, ut flebile adiutorium, atque miserabile auxilium merito declarasse, ut sic in necessitate curatoris sexus restrictiuam adhibere interpretationem, ex desiderio Saxonum non iniquum habeatur. Nostram interpretationem, vbi quosdam contractus in re immobili sine curatore sexus initos validos declaramus nec improbat *IULIANVS in L. 12. π. de rebus dub.* *Quoties ambigua oratio est, commodissimum est, id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat.*

#### §. 4.

Quae cum ita sint, foeminam innuptam sine curatore in re immobili nil quicquam agere posse, quo dominium, siue directo id fiat, siue per consequentiam, aut aliud ius in re, vt hypothecam, seruitutem, ius ususfructus et sic porro

B

trans-

<sup>m)</sup> BERGER in Elect. Discept. For. Tit. VIII. Obs. I. n. 2. pag. 288.

<sup>n)</sup> a LEYSER ad π. Spec. 350. med. 2.



transferatur, aut acquiratur, existimamus, ideoque venditionem fundi a foemina Saxonica sine curatoris consensu, tametsi iudicialiter confirmata sit, si inde non facta fuit locupletior, non subsistere, sed viam ad Vindicationem patere, recte pronunciat BERGER.<sup>o)</sup> Porro, sicut pecunia a pupillo solo data, damno creditoris perit, ita rei immobilis sine curatore sexus alienatae periculum, non mulier, sed emitor fert<sup>p)</sup>. Proinde eiusmodi foeminae, si immobilem rem emit sine curatore, ad reperendum pretium saepe datur conditio in debiti. Sic in pactis dotalibus dos aestimata rerum immobilium ab ea constitui<sup>q)</sup>, et bona immobilia hereditaria, aut alia communia sine curatore diuidi<sup>r)</sup> nequeunt. Nec extrajudicialis immobilium oppignoratio ita pro mutuo valebit<sup>s)</sup>, excipiunt tantum D.D. mercatricem, si creditoribus

<sup>o)</sup> in Responf. Iur. L. Part. II.

<sup>p)</sup> CARPZ. Iurisprud. For. II. Const. XV. Def. 35. add. MEVIVS ad Ius Lubec. Lib. I. Tit. X. art. 3. n. 43.

<sup>q)</sup> CARPZ. l. c. Def. XI. et P. II. Const. XLIII. Def. 9. ILL. HOMMELIVS in Rhapf. Obf. XXV.

<sup>r)</sup> MEVIVS ad Ius Lubec. L. I. Tit. X. Art. III. n. 14.

<sup>s)</sup> CARPZ. l. c. Def. IV. MOLLER ad cit. Const. Ele&t. XV. P. II. N. 97.



bus suis pro mercibus emtis, vel pecunia ad emtionem mer-  
cium accepta in immobilibus hypothecam constitueret<sup>t</sup>).

§. 5.

Contra cum in locatione conductione nec dominium,  
nec vera ciuilis possessio, nec aliud fus in re in alterum  
transferatur nec acquiratur<sup>u</sup>), foeminae solutae praedia si-  
ne curatore sexus valide locare atque conducere possunt<sup>x</sup>).  
Idemque in relocatione<sup>y</sup>), sublocatione, et si conductorem  
ante tempus, cum ipsa re indigeant, aut, matrimonio solu-  
to, ex fundo dotali<sup>z</sup>), implorato auxilio iudicis expellere  
velint, obtinere putamus. Nec est, vt dicas, in locatione

B 2

con-

<sup>t</sup>) BERLICH. P. II. Concl. 17. n. 92. BERGER Oec. Iur. L. I. Tit.  
IV. Th. VI. n. 4. Dissentit MÖLLER l. c. n. 83. Interim vide  
RICCIUM in Spicilegio Iur. Germ. Lib. I. Tit. XXVII. p. 629.

<sup>u</sup>) L. 39. et 60. §. I. π. Locati. L. 9. II. de Rei Vind. L. 39. §. I.  
π. de acq. vel amitt. hered. LAVTERBACH Coll. Pand. tir. Locati  
§. 17. et 74.

<sup>v</sup>) Dissentit ILL. HOMMELIUS in Rhapsod. Obsf. XVII. Foeminas  
sine curatore neque locare neque conducere habitationes.

<sup>y</sup>) A nobis hic quoque recedit BERGER. in Oec. Iur. Lib. III. Tit.  
V. Th. XX. n. 3. et in Respons. Iur. XIX. Libr. II.

<sup>z</sup>) L. 25. §. fin. π. Soluto matrim,



conduktionे rerum immobilium usumfructum tamen constitui et acquiri; quis enim est, qui ignoret, illum usumfructum non esse formalem, sed in mera facultate re utendi iure obligationis debita consistere. LL. accurate diuersitatem, cum usufructuario non ipsum ius ususfructus, sed fructus mediante locatione et alias in alterum transferre permittunt <sup>aa</sup>), exponunt. Interim si eiusmodi contractus, in iudicio ad confirmationem exhibeatur, aut locatrix, vel conductrix in re immobili praeter ea hypothecam constitutre, aut acquirere vellet, curatoris praesentia opus esse, et O. P. R. Tit. VIII. §. 3, et §. anteced. declarat. Ex eodem fundamento foeminae curatoris necessitatem remittimus, si res immobiles per depositum <sup>bb</sup>), commodatum, mandatum sibi concreditas accipere, aliisque ita committere velit. Vt omittam alias species, quas BERGER <sup>cc</sup>) in ipsa alienatione rei immobilis sine curatore tamen valida, adducit.

<sup>aa</sup>) arg. §. I. Inst. de Usu et Habit. L. 66. π. de Iur. Dat.

<sup>bb</sup>) Dissentit et hic BERGER in Oec. Iur. Lib. III. Tit. II. Th. XI. n. 1.

<sup>cc</sup>) in Oec. Iur. Lib. I. Tit. IV. Th. VI. n. 6. add. MEVIVS ad Ius Lubec. Lib. I. Tit. X. Art. III. n. 44.




**ULB Halle**

005 361 745

3







Q. D. B. V.

D E

3, 131.

23

1768 4378

CONTRACTIBVS EXTRAIVDICIALIBVS  
MVLIERVM INNVPTARVM  
IN IMMOBILIBVS SINE CVRATORE SEXVS  
VALIDIS

P R A E S I D E

CHRISTIANO GOTTLIEB HOMMELIO D.  
TIT. DE VERB. SIGNIF. ET REG. IVR. PROF. PVBL.  
ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE

I N A V D I T O R I O M A I O R I

D. VI. APRIL. A. R. S. C I C C L X V I I I

D I S P V T A B I T

JOANNES GOTTLIEB HOFFSCHNEIDER

D A H M E N S I S.

V I T E M B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACADEMIAE A TYPIS.

